DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

FEBRE, PER SE NUNQVAM LETHIFERA,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO, RELIQVA;

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATURAL. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONGE DIGNISSIMO,

ORDINIS MEDICI h. t. DECANO.

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO omni Obſervantiæ atque Honoris cultu ætatem colendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis Solenni obtinendo more Majorum

Ad d. Mart. MDCCXIV. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum examini ſubmittit

JOHANNES MARTINUS Troſt/

Poſonio - Hungarus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

FEBRE, PER SE NUNQUAM LETHIFERA.

PROOEMIUM.



Vam longè à vera Scientia, absit simplex notitia, per historicas traditiones propagari solita, & ita non tam bona fide, (quæ semper solicitam perquisitionem omnium verarum negotii conditionum, ad minium uti in ipso facto, supponit) quam nuda credulitate indiscreta, suscepta, ut innumeris aliis exemplis abunde constat; ita hinc etiam innotescere potest, quod in re, mortalibus alias non parvi æstimata, nempe ad vitam ipsam, atque sanitatem firmam, pertinente, Medicina, fiducia illa, non immeritò cœca appellanda, ita prævaluerit, ut undique, potius, quid dicatur, quam quid intelligendum veniat, imò passim quasi di-

lucescat, attendendo, ad qualemcunque scientiam ita acquirendam, animus, nedum vires ejus nusquam intendantur. *Multa ante nos*, ait Philosophus, *egerunt veteres, sed non peregerunt*; & alibi, *nihil in sui initio perfectum esse*, monet. Hominem esse non oporteat, qui propterea antiquorum laudem elevare, in animum inducat, quod non totum, laudabiliter susceptum negotium, posteros erudiendi, ita ad plenam perfectionem perduxerint, ut his non tantum otiari, sed etiam immensum, & veteribus non probandum, fœnus inde corradere, tanquam ab intestato obtigerit. Est illa sane hæreditas, accepisse à majoribus, præsertim bene partas, facultates; At, quisquis hæres, honestam parsimoniam, & rerum suarum administrandarum solertem rationem, non aliunde, quam in tabulis aut Codicillis, accepit à parentibus aut cognatis, illi rem bono titulo acquisitam, malo usu perire, nemo miratur, omnes autem boni etiam indignantur. Quid autem, quod, quibus affluunt opes, ne quidem hoc magnopere curant, ut computos etiam posteris relinquant, unde, per omnes minutias, quidvis acceperint; his quoque parum profutura diligentia: dum modo illius non obliviscantur, quomodo quæ acceperunt, recte collocare possint, ne expensarum rationes, fundum enervent imò exhauriant. Plane hæc Scena luditur etiam cum Medica Scientia atque arte. Seduli fuerunt majores nostri, quin soliciti, ad colligendum varium è bonis fundis quæstum; transmiserunt hunc ad posteros: confidentes fore, ut hi augeant potius, quam deteriora reddant, prædia. Et uti, recte monente proverbio, *facile est inventis aliquid addere*;

re; ita non tam pudori esse debet majoribus, si omnia sua bona, & totius fundi sui fertilitatem, nondum ipso usu atque fructu perspexerunt: sed illis potius indignandum, qui cultura atque cura meliores hos reddendi compotes, à neglectu, non modo pluribus, sed pristinis etiam commodis, excidunt. Quantas copias observationum atque annotationum, circa historiam, imò ipsam indolem, *Febrium*, sedulò & solerter collegerit *Hippocrates*, testantur prolixa ejus volumina. Attentionem Viri, & optimam intentionem, illud abunde declarat, quod non contentus dixisse atque annotasse, commendet etiam, frequente parium repetitione, & ut loquuntur velut inculcet. Disponere illa omnia in ordinem prorsus exquisitum, potuisse, nemo meritò diffidet; debuisse, inter tantum susceptum laborem, nemo æquus contendet. Ulcus videtur, non tangendum, cur, quod ille, vitæ unius hominis ambitu, non perfecit, tot ab illo tempore seculis, factum non sit aut perfectum? Si enim ille potuit, quid non potuissent tot post illum vita potiti; inventis jam præsertim, quæ ille in hos usus paraverat: si debuit, quid non hi debuerunt? Sed vanæ sunt hæ querelæ; *quicquid ætatis retro est, mors habet:* qui adhuc vivunt, certe eo, quod ab ipso habent, ut bene utantur, interest. Nullum cœptum bonum & laudabile, prorsus serum est. Illud nemo negare potest, quod circa contemplationem *Febrium*, Hippocrates, uno præsertim loco, sententiam protulerit non probandam: sed, quid ad hoc dicendum erit, tamen ab omni posteritate, uno ore atque animo probatam. Est ea, Lib. de Diætâ Acutor. quod *Febres ho-*

mines occidant. Quæ opinio, ut ipsi rei naturæ, è diametro contraria, cum veræ indolis Febrium evolutionem, non potuerit non impedire; imò, inconditè suscepto hoc præjudicio, in solidum evertere: Puto tempus tandem esse atque ferre, ut legalitas ejus, inspectis actis & probatis, ut forenses loquuntur, revideatur. Egit hoc ab aliquo jam tempore Excell. D. D. Præses; cum autem Thema DISPUTATIONI INAUGURALI constituendum esset, elegi hoc imprimis: periclitaturus vires, an non tandem, pleno jure & constante fide, decernere detur, quid de quæstione tanti ponderis sit sentiendum. Absit tamen, ut ego mihi statuendi plenam potestatem vindicem; Advocati partibus contentus ero, documenta, cum studio atque fide perquisita, proferam: judicibus æquis, peritis harum legum, & prudentibus, decernendi autoritatem, non tam permitto, quam liberaliter refero. Publicæ itaque disquisitioni, placidæ atque doctæ, offero Theses, quibus probare justa est fiducia, quod FEBRIS, IN SE, NUNQUAM sit LETHIFERA.

Deus T. O. M. ingenuo proposito atque liberali coepto, benedictione sua clementissime adspiret, & felices successus, atque salutarem fructum, largiatur.

Thes. I.

INstitutum nostrum est, disquisitioni placidæ atque solerti offerre *rationes*, confirmantes, quod *Febris, nunquam, in & ex se, sit lethifera.* Ne vero diversa opinio de *Febre*, quid hoc *nomine* propriè designemus, censeamus, & intellectum velimus, gratuitam *ambiguitatem* introducat, aut obrepere sinat, edisseremus antè omnia, nostram

noſtram hâc de re mentem: *Primo* itaque, ex iis, quæ, in *ſenſum* incurrunt, *Febrem* eſſe agnoſcimus, quando homo, etiam citrà probabiles aut ſenſibiles, *externas*, *directas*, *cauſas*, *refrigeſcere* incipit; & frigus hoc per aliquod tempus, vel ita *durat*, vel notabiliter increbeſcit & *augeſcit*: interdum etiam eo usque, ut non aliter, quam ab *externa* ingente frigoris impreſſione, percurſantibus *horridis tremoribus* corpus percellat. Poſtquam autem *frigus* hoc per aliquod temporis ſpatium duravit, *calor* in ejus locum ſuccedat; naturali gradui in *exceſſu* impar, & ſimiliter, directè, alicui *extrinſecus* accedenti, aut ex arbitrio ſuſceptæ, cauſæ, non adſcribi poſſit. Vel etiam, *ſine* præcedente *frigoris* ſenſu, inuſitatus talis eminentior *caloris* gradus, hominem occupet, ante dicto, veluti *ſpontaneo*, ortu & incurſu. Hic verò *calor* inſolitus, vel per *inſigne* temporis ſpatium, vel prorſus aliquot *dierum* decurſum, perennet & perſiſtat. Vel etiam, *frigus* illud, cum *ſuccedente* contrario *calore*, ſuccedentibus diebus, & horum plus minus *ſtatis* horis aut intervallis, revertantur. *Simul* autem ſic affectus homo, etiam aliàs, à legitimo ſanitatis ſtatu atque ſenſu, in diverſum abeuntes, moleſtos affectus perſentiſcat; *torporem*, *languorem*, *laſſitudinem* inſignem; *appetitûs* vel inſigne decrementum, vel inconſtantem monitum: imò potius *faſtidium*, & ipſius usque *mentis*, *tædium*, *ſomnolentiam* inconſuetam, aut contra *ſomni* impotentiam: aut *inquietum*, & vix *levem*, ſomnum: *Capitis perturbationem*, aut *dolorem*: *ſitim* inuſitatam, cum, vel ſine, *oris* inſolita *ſiccitate*: ſub his rebus etiam *habitus* corporis, *aſpectu* ipſo dignoſcendam oſtendat alterationem; ut nunc tanquam *extenuatus* & præter morem atque modum *pallidus*, nunc *rubicundus* atque *turgidus*, compareat: *viſus* etiam & *auditus*, objectorum impatientior ſit: *reſpiratio*, à conſtante ſuo atque ordinato tenore deflectat: & ipſe patiens, tam corpore quam animo, *ægrè* ſibi eſſe profiteatur. *Pulſus*

cor-

cordis & arteriarum, imprimis ſub *calore*, *frequentior* & *celerior*, ſanitati conſuetam menſuram non obſervet: & quanto magis & diutius hæc omnia perſeverant, tanto magis atque gravius etiam æger inde *langueat*. Tandem circa *excretiones*, *Urina*, *quantitate*, *conſiſtentia*, *colore*, offerat conſtitutionem ſano hominis talis ſtatui inſolitam; *alvi* ſucceſſus, ſubinde conſueto ordini non inſiſtat: *ſudor* autem, præter morem conſvetum, & alios incaleſcendi gradus, diverſo modo procedat aut ſuccedat.

Theſ. II.

Ex iis, quæ minùs directè & ſimpliciter in *ſenſus* incidunt, *ratione* tamen facilè percipiuntur, in *Febre* agnoſcimus, inſolitum *motum* atque *modulum*, *progreſſivi motus* ſeu *circuitus*, ſanguinis; tum etiam, è manifeſtis ipſi viſui, *ſtricturis*, *poroſi habitus exterioris* corporis, aliam rationem & effectum ad *ſecretiones* & *excretiones*, è maſſa humorum ſecedentium portionum & retrimentorum.

III.

Omnia hæc in unum collecta, Syſtema affectuum & effectuum conſtituunt, quod *Febrem* appellamus; neque nos quidem ſoli, ſed habemus in hoc, quantum nobis liquet, neminem diſſentientem. De hac *Febre*, dicimus, quod nunquam ſit *lethalis*; nempe nemo, ex tali affectu, vitam amittere poſſit, aut ſoleat. Quod ipſum ne imperitiori alicui nimis liberè dictum videri poſſit, ex abundanti providere placet. Poſſet enim forte talis argumentari, cum utique allegatæ circumſtantiæ, uti ſingulæ, ita tanto magis in unum Syſtema conſpirantes atque concurrentes, utique aliquid ſint à *ſanitate* deflectens atque alienum; fieri non poſſe, quin, quantò diutius *continuentur*, tanto *magis* etiam à ſanitate recedant & eidem detrahant: adeoque *longa* & *perenni* continuatione, ipſi vitæ exitium machinentur. Ita dubitanti, ſatis erit reſpondiſſe, hoc fieri *non ſolere*; adeoque juxta Metaphyſicos, quæ res nunquam in *actum* deduci

ducitur, ejus neque *potentiam* certam ſupponendam eſſe: aut ad minimum, à tali *potentia* ad *actum*, non valere conſequentiam, juxta Logicos. Quanquam enim Febres *diuturnæ* inveniantur, quæ ad mortem usque comitentur ægros: aliud tamen eſſe, *cum* Febre mori, aliud *à febre*, uti Metaphyſici adoleſcentes docent; ita nos, in ſubſtrata materia, mox oſtendemus.

IV.

Nempe fert aſſertio noſtra, quod *non lethifera* ſit Febris, *in ſe* & *ex ſe*. Dixerit aliquis, quid ergo aliud eſt cum febre, quod effectum illum edat? reſpondemus breviter, quod prolixius deducendum veniet: *Materia*; non Metaphyſica illa, ipſius *Febris*: ſed Phyſica, reſpectum Metaphyſicum ad febrem tantum habens *ſubjectivum* & *objectivum, paſſivè materialem*, & *finalem*, *in* quam, & *propter* quam, agit atque agitur *Febris*.

V.

Juſtas autem ſic interrogandi cauſas reddidit, communis conſenſus, totius, omni ævo, ſcholæ Medicæ; dum nihil aliud, quam quæ nos ſupra recenſuimus, non ſolum pro *Febre*, ſed usque adeo, *in* ipſa febre, agnoſcens, hanc tamen, qualem deſcripſimus, Febrem, *ipſam* & *in ſe*, pro morbo agnovit, atque declaravit. Unde tanto minus mirum eſſe, imò aliter non eſſe, aut fieri, poterat, quin, cum homines, *in*, & *cum* febribus, *mori*, ſæpius obſervaret, *Febri* ipſi, tanquam ſoli atque vero illa tempeſtate præſenti morbo atque *rei præter naturali*, culpam in ſolidum imponerent.

VI.

Interim contrarium, & quod utique *materia* ſingularis, præſto ſit in febre, quæ non ſolum *ſub* hac ſeſe manifeſtet; quod tanquam *effectus* ipſius febris argui atque explicari poſſet: ſed quæ ipſam febrem *excitet* atque *provocet*, ut alia multa, in variis febribus monſtrant, ita hoc imprimis in *laborioſioribus*, & magis ambigui eventus, quæ à

contagio initium suum ducunt: Adeò usque *materiali* atque *corporali*, ut etiam frequenter ipsæ *merces*, & vehicula quasi, innotescant, cum quibus *Pestis* præcipuè, non ex *urbe* solum, sed tota *provincia* dissitâ, in aliam, adeoque homines ibi viventes, transferatur. Et quid aliud sibi volunt antiquissimæ animadversiones, de febribus *Epidemicis*, certas *tempestatum* constitutiones insequentibus; nisi quod hujusmodi ambientis aëris mutationes, corporis humani succos & *materias*, ita male habeant, & afficiant: non ut hi succi ipsi fiant Febris, sed ut febrem efficiant.

VII.

Quamvis autem nemo sit, quin intelligere possit, quod omnis utique schola Medica, nunquam dissimulare, nedum dubitare, in animum induxerit, quod febres habeant *materialem* causam; seu materiam *corpoream*, pro sua causa: relinquimus tamen cujuslibet æqui arbitri judicio, quo jure, & qua evidentia, *effectus* illos, quos, tanquam ab ipsa *materia* directe, corpori inductos, pro ipso *morbo* habuerunt, huic *efficiendi* & *fiendi* rationi assignaverint. Quod ipsum tamen judicium, ut etiam habeat *argumenta* atque *documenta*, quibus inniti possit, rem ita justæ pensitationi admovemus.

VIII.

Primò enim, in solo propemodum *frigoris*, aut *caloris*, eventu, subsistentes; utrumque assignaverunt soli humorum *putrescentium* effectui: *Frigus*, quidem quando humores *extrà* vasa, in substantiam partium effusi, ibi *putredinem* hanc subeant, aut foueant. Licet non addita ratione, quomodo à *putredine*, inter *solidas* res fiente, *frigus*, produci posſit: cum experientia in *fimo, fœno, gramine, stramine, farina, carnibus* &c. purum *contrarium* in sensus ingerat.

IX.

Nisi quod *absentiam* caloris, æque atque *pallorem*, *subsidentiam* quasi extenuatoriam, *fugæ spirituum* à loco *putre-*

tredinis, imponerent. Infelici in eo consequentia, quod putredo *intra vasa* supposita, *calorem* febris producere putaretur; non solum per externum habitum corporis, spiritibus huc confugientibus, interna frigere necesse esset: sed etiam tum spiritus, tanquam *Architecti caloris* ita declarati, sub *frigore* externi habitus, ad *interiora* dilapsi, ibi iterum, illo ipso tempore, *calorem* inducere necesse haberent: experimentô opinionibus adeò contrariô, ut vel ipse *halitus* ægrorum, tunc temporis *frigidulus* sentiatur.

X.

Ita etiam quæ de *pulsus* mutatione opinati sunt, iisdem angustiis implicantur; sive enim augmentum sub *calore*, (cum recentioribus) à *stimulatione*, à materia *morbida*, ipsis *putrescente*, deducant: sive à *spiritibus* majore copia incumbentibus: utrinque hæret aqua. Quî enim fieret, ut in *gravissimis* febribus, *materiâ* morbidâ, juxta universalem consensum, *cor* præcipue obsidente, vel plane *nulla* mutatio, vel *parva*, *pulsationis* sentiatur? Vel, si *spiritus* illam efficerent; sub externo *frigore* cordi incumbentes, nihil hujus facerent: sub *calore* verò, nempe à spiritibus ad *exteriora* dilapsis, exacerbatio pulsationis quàm maximè fieret?

XI.

Enimverò, plus certè condonandum hic est *veteribus*, qui neque perpetui *progressivi* motûs sanguinis, neque *usus* ejus eximii, ad *secr.* & *excretiones*, gnari fuerunt. De recentioribus, qui ex hac scientia nihil maturioris fructûs colligere cordi habent, æquis arbitris permittimus judicium.

XII.

Interim Veteres magnifice agnoverunt, & omnes illorum observationes atque intentiones, eò præcipuè collimant, quod *secretio* putredinosæ talis materiæ ex humorum latifundio; & tandem *excretio* è toto corpore, totum *salutarem* processum atque successum debellationis Febrium,

 absol-

absolvat. Unde tam digno loco habuerunt *coctionem* materiæ, & *Crisin*; nempe illam, *dispositionem* ad *secretionem* subeundam: hanc, *secretæ* ex humorum massa, putridæ materiæ *excretionem*, præstituras. Nec abnuunt recentiores, quoties veritati potius experientiæ, quam inanibus speculationibus, de eo quod actu non fit, animum advertunt.

XIII.

Quomodo interim vel *in genere* fieri *debet*, vel, per recentius inventam sanguinis *circulationem*, fieri luculenter *potest*, ut *materia*, *corrupta* & *corrumpens*, & hoc brevibus *temporis* succesſibus, patiens magna copia, aut agens, & nisi *excernatur*, *plus* & *diutius* factura, *brevioribus temporis* succesſibus è corpore *expellatur*? adeoque hoc, ablatis alienis atque noxiis, suæ *puritati* atque *sanitati* restituatur. Quomodo inquã fieri hoc aliter potest, aut debet, quam *maturatis secretionibus* è bonorum adhuc humorum latifundio, & prorsus *excretionibus*.

XIV.

Quomodo autem *aliter*, nedum *melius*, breviore *temporis* successu, *majore copia*, fieri potest *secretio*; nisi *frequentiore* humorum per omnes sui portiones, *appulsu* ad colatoria? *appulsus* hic frequentior, quomodo aliter fieri potest, nisi aucto universo *impulsu*, & frequentiore *propulsu*. *Excretiones* enim fieri non posse, materiarum per totum humorum latifundium dispersarum, sine prævia *secretione*, nemo puto in dubium vocabit.

XV.

E quibus itaque, etiam simplicisſimis, considerationibus, in aprico est, quod non solum Veteres, in declaranda illa, respectu corporis *vivi*, pure *passiva*, efficacia, debita connexione excidant: sed etiam recentiores, necesſitatem talem *activam* inveniant, sine qua corpus, à noxiis illis & obnoxiis materiis, *liberari*, *repurgari*, atque suæ *puritati*

ti & sanitati restitui, *nullo alio* modo posset: sed hoc *uno*, omninò posfit.

XVI.

Priusquam itaque, quicquid è solidis his considerationibus ultimò colligi & concludi potest, imò debet, eliciamus; utile apprime, nisi quidem absolute necessarium, erit, collustrare, quid in illis circumstantiis, quarum totum *complexum, Febris* nomine comprehendi monuimus, ab ipso hoc actu & processu, *apparatus secretorii & excretorii*, dependeat, inducatur, atque producatur: aut quid vicisfim, magis forte probabiliter, aut prorsus evidenter, *directis effectibus* morbidarum *materiarum*, tribuendum veniat?

XVII.

Ibi illud, ante omnia, considerandum ducimus, quod *materialis* illa corruptio, quæ in Febribus magis *directis*, ipsi Massæ Humorum; in *secundariis* autem, unà parti alicui *solidæ*, incumbit, totus apparatus *secr.* & *excretorius*, ita velox atque fortis, nulli absolutæ corporali, seu *materiali*, necesfitati, ita innitatur, ut non posset quiescere; quandoquidem hoc loquuntur exempla, *citò* & *certò lethaliũ* eventuum, in *summe malignis* pestilentibus febribus; ubi sic affecti, sine sensibili, aut certe effatu digna, febre extinguuntur: ubi certe, cum adeò deleteria sit vis *materiæ* pestilentis, tanto vehementiores esse deberent inde concitatæ commotiones. Id quod etiam universa indoles *contagiosarum*, semper præ reliquis *malignarum*, febrium, in eo testatum facit, dum hæ febres, legitime succedentes, *commotionum* gradus exhibent, ceteris plerisque longe *mitiores*.

XVIII.

Illud autem utique certum atque ratum est, quod hujusmodi *commotio* fortior *localis* humorum, eo *fine* atque scopo absolutè *necessaria* sit, ut hac ratione, *vita* corpori, *remotione* & *excusfione* noxiarum materiarum, vindicetur atque conservetur. Adeoque non

 tam

tam usquam *à materia* morbida, quam *contrà*, adeoque *propter* materiam morbidam, ut *disturbandam* & *exturbandam*, instruatur. Sin autem hoc *non*, aut non satis *tempestivè*, aut non rectè atque *ordine*, suscipiatur, continuetur, & ad finem usque deducatur, tunc suæ libertati relicta noxia *materia*, effectus suos, tanquam per otium, atque luxum, prodigè exequatur.

XIX.

Quando verò *acùtior*, & quidem *diutius* continuandus, sangvinis *progressivus* motus, ad hujusmodi necessarium *finem*, in actum deducitur; tunc presso quasi pede, *progressivum* motum concitatiorem, sequitur *intestinus* etiam citatior; qui, ut iste pulsum, ita ipse *calorem*, sanguinis, & tantò magis reliqui corporis, adauget. Sic quidem speramus, peroratam tandem esse illam veracis experientiæ, & perspicuæ rationis, causam, quod sangvis, plus in *allisorio* atque *affrictorio*, *transpulsu*, per solidarum partium poros, *incalescat*; quàm unicè *intestino* sui particularum, mutuo *collisu*: postquam illam rem, ante annos proxime XXX. Excell. D.D. Præses, Jenæ adhuc Medicinam docens, de *respirationis* effectu, contra omnis Scholæ Medicæ opinionem, tenere occepit.

XX.

Frigus autem quod attinet, non potuit ullus adhuc mortalium, manifestarias illius causas deprehendere in Febribus; quamdiu non solum hæc ipsa productio *caloris* ad animos non pervenit: sed etiam constitutio *habitus* porosarum partium sub frigore, per *visum* vix altius, quam ad internum *sensum communem*, penetravit. Qui verò illud, quod oculis conspicit, quomodo porosæ partes *contrahantur*, infarctus sangviferorum vasorum *inaniatur*, sangvis ad *interiora* repellatur, *pallor* exsangve corpus externum obsideat, *tensivus* sensus atque gravitas, artûs occupet, ad animum revocat: ille non poterit ignorare, quomodo, depul-

sô & interclusô sangvinis sufficiente *transpulsu*, qui *calorem* proprie confert, ante omnia *frigus* oriatur in his partibus, & reliqua phænomena sustententur.

XXI.

Altior est quæstio, CUR hæc ita fiant, quæ *frigus* post se trahunt? Sed non ita profunde delitescit respondendi & intelligendi ratio. Dum in illis tantum Febribus hæc obtingunt, in quibus vel *materiæ* morbidæ, *intus* circà viscera obhærenti, *emollitione*, *dilutione*, *vehiculo*, opus est, ad ulteriorem depulsionem: vel *viscera* interna, sequestratoria, ad longiorem & expeditiorem talem usum, in isto cœpti principio, *expandenda* quadantenus veniunt, ut eo liberiùs officium suum exequi & persequi valeant.

XXII.

Quamvis autem hucusque, de febre, ut *in genere*, loquentes, de *materiæ* noxiæ, & quidem *præsentius* nociture, aut nocentis, *secret.* & *excretione*, velut unicè locuti simus; quia tamen circumstantia, etiam febribus *in genere*, impendet, quæ tamen *unam*, aut *duas*, febrium species, etiam per se, aut certe eminenter, excitare potest: venit proinde etiam de illa aliquid dicendum. Non tamen eo sensu, ac si hæc etiam circumstantia, à *secretionis* & *excretionis* scopo in solidum abiret: sed quod ad minimum luculentiore remonstratione opus esse videatur, quod etiam in hac, *mediatè*, ad *secr.* & *excretionem* ultimus rei gerendæ scopus collimet.

XXIII.

Abundantia stricte dicti *Sangvinis*, quod dari possit & frequenter inveniri etiam soleat, speramus prolixiore deductione non indigere. Quod hæc *abundantia*, non solum per se *molesta* sit corpori; sed etiam ad *motus* voluntarios liberos atque liberales, minus parem reddat hominem: *expansionibus* autem atque *turgescentiis*, & inde promptiori *oppletivæ* lassitudini, ansam præbeat: imò *infarctibus*, *stasibus*,

in-

inflammationibus corpus exponat: nihilo majorem difficultatem conceptui objicere posse, confidimus.

XXIV.

Quod autem quibuslibet febribus, in eo notabile incommodum objiciat, quod *auctiorem* & necessariò satis liberum, sanguinis circuitum, *pondere*, & *expansione*, gravet & præpediat; *oppletivam* talem ac tensivam lassitudinem adaugeat: & ibi quoque *inflammationis* periculum foveat: molestiam autem *caloris* exaggeret: & præterea plus *materiæ*, cui febrilis fomes potissimum nocere possit, constituat, satis euidens esse arbitramur.

XXV.

Jam, cum è vero intellectu *mechanismi* motus progressivi sanguinis, notum esse debeat, quod ipse potissimum sanguis progressivo illo atque intestino, allisu ac attritu, non solum in debita *fluxilitate* conservetur; sed etiam continuatione hujus attritus, ipsa ejus constituentium particularum cohæsio, sensim sensimque exteratur, atque divellatur, adeoque in tenuiorem illam consistentiam deducatur, quæ posthac *serum* excrementitium constituit: dignum est consideratu, annon ex hac ipsa habilitate sanguinis, ut hoc modo atque motu è propria sua spissiore consistentia in *tenuiorem* reducatur, sub qua commodius atque copiosius è corpore evacuari, & corpus ipso *exonerari* possit; ex hac, inquam, re consilium etiam justum instrui possit, ut *motus* talis, ad hunc *finem*, suscipiatur? Quemadmodum positivè, extrinsecus suppeditato consilio, spissiore, & copiosiore sanguine, quin ipsa obesitate laborantes, jubentur, etiam *voluntario* corporis motu liberalius uti. Quo verò alio fundamento, nisi ut per voluntarium corporis motum, progressivus atque intestinus sanguinis motus augeatur, & ante nominatos effectus post se trahat.

XXVI.

Non est autem Oeconomia corporis motuum, utpote *moti-*

motibus hujusmodi tota superstructa, eò usque inops consilii, ut illud simpliciter & perpetuò, ab externo suasu præstolari necesse habeat. Unde potius subinde, tam simplici & directo instituto, hoc consilium & capessit, & exequitur: id quod fit, in febribus plerisque *Ephemeris*, & ipsa vera *Synocha* seu *Continente* simplici: quam sub aliis etiam febrilibus actibus, ad necessitatem deductis, ut huic scopo (ut unius rei plures possunt esse fines) simul operam dare intendat. Non incondito, *in genere*, proposito; interim, ut *in specie*, subinde minus consulto, & *antipraxin* notabilem, sub diversæ necessitatis ratione, diversis *magis* necessarii scopi conditionibus implendis, impedimentum aut detrimentum, objiciente. Confer. Diss. Excell. D. D. Præsidis, *De Febribus compositis ex acuta periodo*: quarum nempe veluti simpliciores, antiqui, vero atque pleno intellectu, *synochos cum putredine* appellaverunt.

XXVII.

Fuerunt hæc præmittenda, ut non solùm liber aditus, sed planus etiam progressus, pro nostro proposito panderetur atque pararetur. Nempe ita ante omnia, primo loco, & pro fundamento, dilucescit, quod *Febris*, dum non solum ad *exonerandum* corpus, à materiis præsentius nocuis, *appositum* & adæquatum, sed etiam in rei veritate, *unicum* est medium; adeo non sit *morbus*, aut in se, *morbi* rationem habeat: ut potius *contrà* morbum, nempe corruptionem humorum velocem, amovendum atque inhibendum, directè valeat.

XXVII. XXVIII.

Sed, *vulgus amicitias utilitate probat*; nempe non *quia*, & *quatenus*, sed *quamdiu*, utiles sunt, amicos interpretando. Qui fit autem, ajunt, quod multi homines, *febrem* manifestò habentes, moriantur; si febris ad debellandum morbum valeat? Num verò injuria cuiquam fieri potest, si quis crederet neminem nisi vulgus, ita argumentari

C pos-

posse; & sic satis futurum putaret, argumento ad hominem quod vocant, totam quæstionem expedire. Homines medicamentis utentes tamen moriuntur; itaque ergo A medicamentis? *interdum docta plus valet arte malum*, recte dixit Poeta, vel ipso vulgo judice. Exsuperans incendium, humanum auxilium spernit; ergo ne aqua ignem non extinguit? quis ita argumentatur, vel de ipso vulgo.

XXIX.

Puto peroratum esse. Sed dabimus hoc moribus, ut etiam in meridie lucernam accendamus, & cum *Diogene*, homines quæramus. Absit, ut virum de arte immortaliter meritum, *Hippocratem*, arguamus: utut juxta declamationes Senecæ Patris, etiam *per Leges, amentiæ sit actio, vel in patrem*: & certe *amentia*, vitium est *Physicum*, non *morale*, neque *culpa*: neque *actio* illa, tam *accusationem* præ se ferebat, quam *defensionem*. Quid vero si *Hippocrates*, ut ipsos *morbos Acutos*, ita illam quoque *formulam*, à majoribus acceptam, descripsit potius, quam præscripsit? locus est Lib. de victu acutorum: *sunt autem*, inquit, *hi acuti morbi*, *quos Veteres nominaverunt, Pleuritidem, Peripneumoniam, Phrenitidem*, & *Causum*, & *alii morbi*, *qui horum aliquid habent*: *quorum Febres, omnino continuæ existentes* OCCIDUNT. Apparet *occisionem* manifestò *febribus* tribui. Sed apparet etiam non minus liquidò, *febres* notari, quæ *morborum* sint: *morbi*, inquit, alii, *quorum febres* occidunt. Ergo in tali *febre*, quæ ita occidit, *morbus* subest; non ipsa *sola* febris ibi *morbus* est. *Occidunt* ægrum; sed certe audiendi sunt testes, quis *reus* sit cædis: *febris*, sine advocato: an *morbis*, sine judice.

XXX.

Qui verò sunt hi *morbi*, quorum manifestò *nomina* delata sunt; & adeo quidem gravi nota, quod *morbi* utique sint, aggressores manifestarii; vim non solum moliti, sed ausi. Quales verò sunt, & ubi aggressi occisum: an strictim,

per

per *capillos, brachia, cutim* summam? imò *viscera* corripuerunt, *pectus*, *cerebri* familiam, *stomachum*, (quem sub gravissimis hujusmodi periculis vel *cordi* æquipararunt iidem veteres, καρδίαν appellantes,) Quod autem ibi facinus extat, ab his perpetratum? *inflammatio*, *corruptio*, *profunda suppuratio*, *mors* ipsa, *sphacelus*. Quid testibus opus? hæc pro se loquuntur. Quæ verò in his *Febris* culpa? nempe miseræ evenit, quod vulgò solet; *sequestri*, armatis pugnis intercedentes, exponuntur plagis & periculis.

XXXI.

Ausit aliquis *inflammationes* tales viscerum à *cædis* potestate absolvere, statim condemnabimus febrem; si verò hæ ita certò, imò inevitabiliter, hominem *occidunt*, ut, nisi disturbentur, atque retrahantur & repellantur, hominem occidant, salva res est: non damnanda est febris, sed laudanda, si non ob *servatum* civem, certè ob *defensum* quoad poterat: *ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

XXXII.

Repetamus, certe non nostra ipsorum causa, sed eorum, quibus inculcanda hæc veniunt, quæ jam dicta sunt. Sanguinis portio, *visceribus* impacta, *stasi* segni densata in spissamentum; quomodo *distrahetur* iterum, nisi *appulsu*, *allisu*, *attritu*, & perpetuo *insultu*, novi sanguinis. Et certè necessariò *rapidiore* hujus motu, quam tranquillo illo stato, qui non nisi integris & quietis rebus sufficit. *Augendus* itaque est impulsus; *frequentior*, *celerior*, adhibendus: *continuandus*, quo ad vel usus, vel quamdiu opus, est. Quid verò erit inde, nisi *Febris*. An illa *velle*, *probare*, *optare*, imò quantum in nobis sit *suadere*, & tamen febrem execrari, uno halitu decet?

XXXIII.

Certe *motibus* his, non rarò evenire *feliciter*, ut stases illas distrahant, ægrum salvent, sæpe observamus: *quietas* relictas *inflammationes* illas, præsertim *repentinas*, & tan-

quam per otium grassantes, hominem non occidere, monstri simile est.

XXXIV.

Quam facile est autem, ad hoc exemplum, *Febrem* ab omni reatu absolvere, & ubilibet invenire veros *homicidas*, quoties æger moritur, quàm maxime *cum* febre. Cum *pestilens* virus, aut *variolæ, morbilli, petechiæ, intùs* hærent, & *visceribus* ipsis incumbunt, vel *qualitate* atroci, vel *quantitate* enormi; cur occidunt hominem; nisi quia *loco dimoveri* non possunt: non quod *motus deficiat*, sed quod non penitus *sufficiat*. Ad quid autem? ad materias illas pessimas, è corporis penetralibus, & nobilissimis partibus, ac tenerrimis, quarum constructio violata, vix unquam resarciri potest, ad *externas*, imò quantum fieri potest, *extremas*, *expellendum*. Quomodo autem *expellentur*, nisi *motu*? Quomodo rectè expellentur, nisi *maturato*, & ad proportionem *aucto* motu. Cujus autem *medii*, quàm *humorum* seu sanguinis *Massæ*. Quid est autem *auctior* hic motus sanguinis Massæ, nisi *pulsus* auctior, cum suo sodalitio & pedissequis: quomodo verò deinde salutatur? *febris*.

XXXV.

Absolvimus confido, febrem; possumus acquiescere. Imò nondum licet esse tam felicibus, non possumus absolvere *Febres*. Novum Paradoxon; nempe inauditum & tamen verum. Quid notius est, in tota communi vita, quàm, licet omnes homines ratione præditi esse intelligantur; quod tamen non omnes æqualiter illam exerceant; sed, partim per connatas veluti, partim adscitas, & per consuetudinem in alteram naturam deductas, rationes, illam non in parem exercitationem, promptitudinem, atque constantiam, deducant. Hoc ipso vero plurima, ad optimam illorum, & plane salutarem utilitatem atque necessitatem, pertinentia, perplexa aut perversa, æstimatione atque directione, ad contrarios, aut certe impeditiores, eventus, flectant, aut prolabi sinant.

XXXVI.

Directio motuum vitalium, ad *salutares* effectus, adversus res *materiales*, nocendi compotes corpori, cum utique exquisita *proportione* , nisi necesse habeat ; *proportio* vero objectum utique sit *rationalis* discretionis : si hæc non exquisitè juxta rationabiles, seu rationi rectæ & tranquillæ conformes, progressus, instituatur atque regatur, non posse inde *effectum* potius quam *eventum* exoptabilem, consequi, manifestum est.

XXXVII.

Jam vero licet hæc res, & ingens illa, diversitas τῦ λόγυ, seu *simplicis rationis*, ἀπὸ τῦ λογισμῦ, seu *imaginativa ratiocinatione*, rem hanc, ut *à priori*, declarare possit; quia tamen inexpectata, & propemodum incredibilis, *inadvertentia* hujus rei, plerisque, quibus non conveniebat, crucem figit: neque debet tamen, neque potest, negligi, illa *à posteriori*, veritas, experimentalis & notissima, quod tum in corpore, etiam cetera undiquaque sano, tum eò magis, in rebus jam *impeditis*, & nominatim *febrilibus* necessitatibus, *animi pathemata*, seu tranquillæ rationis, imò ordinatæ *ratiocinationis*, *æstimationis*, *intentionis*, atque præsentissimæ *directionis*, *turbatio*, tranquillo justo ordini, *motuum vitalium* non solum certas, sed etiam præsentaneas atque promptas, & plane profundas, Ataxias inducat, circa ipsos *vitales motus* : emplo *terroris*, *trepidi timoris*, *sollicitæ inquietudinis*, *nauseæ* etiam undiquaque *imaginariæ* &c.

XXXVIII.

Quæ res, cum *per individua* notoriè vario *gradu* se exhibeat atque exerat; quomodo mirum esse potest, si etiam in *febrilium* motuum exquisita æstimatione atque gubernatione, eodem plane modo res geri deprehendatur. Quæ interim, cum non rarò, tàm ad præcavendum, quam ad æstimandum, *Medicæ* quoque considerationi non parvum momentum adferant; fit inde, ut hujus qualicunque culpa,

per individua, etiam optimæ rei, nempe utilissimarum *administrationum*, & *exactarum* prosecutionum, *febrilium motuum*, *perplexa* & *incondita directio* atque *gubernatio*, perverso usu, rem in se non solum innoxiam, sed plane salutarem, pervertat, & in contrarium effectum seducat.

XXXIX.

Hæc est illa *exceptio à regula*: Febrium, inquam, *per individua*, periculosa *declinatio*, à febre *simpliciter*, tanquam *in genere*, & ut *in se*, considerata. A qua videlicet, per hoc *accidens*, *sinistri* illi effectus eveniunt, qui febris salutarem exitum, *per individua*, ad *defectum* inclinant; ut bona *potentia*, male in *actum* deducta, illud quod *poterat* & *debebat*, non assequatur: Sed *prævalens*, adversus *auxilium*, non convenienter oblatum, *materia*, potestatem nanciscatur, pessimum suum effectum, tanquam otiose atque libere absolvendi.

XL.

Hæc consideratio, si in *quotidianis*, & quantumcunque *frequentibus*, exemplis, recte ad animum revocetur, evanescet, omnis illa difficultas, per quam *Febres*, nempe *non decenter* institutæ atque gubernatæ, *alieniores* decursus, adeoque *irritos* effectus, consequuntur.

XLI.

Ex hoc fundamento, dilucide statim comparebit, fundamentum, tam *à priori* facile prævidendi, quam *à posteriori*, & in ipsis exemplis, deprehendendi, quam diversis *turbulentis* cursibus & decursibus, expositæ sint *Febres*, secundum diversitatem ita dictorum *Temperamentorum*, & super his radicatorum *morum*: nempe *ideæ actionum* atque *motuum*, tam ad *morales*, quam *physicos* effectus, regendorum & dirigendorũ. Ita enim, in sic dicto *Sangvineo* temperamento, ubi omnia *planis*, *liberis*, adeoq; *securis*, processibus, atq; progressibus in corporis ipsius *tranquillis* rebus, apta & aptata sunt; adeoque tota animi *intentio*, à *laboribus* novis suscipiendis alienata est, non nisi facillimis rerum successibus, tota

sveta

sveta: Si (vel *moralis*) aliqua necessitas periculi objecti, oboriatur, quam *fastidiosa*, *trepida*, *anxia*, & de felici eventu *dubia*, oriri soleat idea, & *consilii* tranquillè capiendi perplexitas; aut intempestiva atque negligens, recte *æstimandi* periculi, & *maturè* adhibendi consilii & auxilii, *securitas*: nemini recte attendenti obscurum manere potest.

XLII.

Ita in *Cholerico* corporis atque animi habitu, facillimum est observare, quomodo *audax* illa, & nimis quam *prompta*, & hoc ipso etiam *præpropera* & *impatiens*, ad agendum & in agendo, protervia & præcipitantia, etiam in *Febrilibus* motibus, nihil *ordinatum*, *tranquillum*, atque *maturum* aut *opportunum*, ferat; sed ibi quoque, non solum *voluntaria impatientia*, continentiæ debitæ defectûs introducat: verum etiam nimiis *festinationibus* utilium vitalium motuum, ad secret. & excretiones pertinentium, debitas *proportiones* atque *ordines*, perturbet, ut nihil nec *tranquilli*, nec opportuni, quanta conveniebat *moderatione*, geratur, nec propterea etiam commode absolvatur. Quin *intempestivè*, & *immoderatè* commovendo, *immaturè*, & ad *alieniora* Secretoria loca, coacervando, & *præmaturas* elisiones tentando, *difficiles*, *dubii*, imò funesti, eventus, loco salutarium effectuum, etiam cum *furibundis deliriis*, & *violentis convulsionibus*, subsequantur. Qualibus parallela etiam à repentinis *animi perturbationibus patheticis*, per transversum introduci, nemo serio nescit; ut à *timore mortis*; *desiderio*, & *planctu* amicorum, aut solum *internos sensus*, agitantibus occupationibus cogitabundis; *iracundiâ* concitata, *terrore*, *somniis anxiis*, & undecunque objecta *trepidatione*; *sensationibus molestis*, *odoribus aut saporibus adversis*, *strepitu* quietem turbante, &c.

XLIII.

Et hæc omnia atque singula, adeò non à *materia*, aut justa atque necessaria *forma*, atque formula, uniuscujusque

Febris; ut potius illa ipsa *eadem specie*, apud multos alios pares incommodos effectus, nequaquam sortiatur, quales sub concurrentibus hujusmodi circumstantiis *individualibus*, *quoties*, & *quoniam*, illæ interveniunt, toties, & adeò manifestè ab his ipsis causis, demum introducuntur. Quæ res, ne ad Medicam scientiam penitus inutilis, aut incoërcibilis, forte reputetur, habet omninò illum usum, ut ad minimum *voluntaria*, communiter Symbolizans, *exasperatio*, tam præmonendo, quam admonendo, observetur & præoccupetur: tum etiam nimia illa *promptitudo*, potius mulceatur, quàm ut plane, intempestivis *stimulis* insuper adjectis, irritetur atque exagitetur.

XLIV.

Dum ex adverso, in ita dicta *Phlegmatica* constitutione, & negligentiore ac *torpidiore* motuum necessariorum concursu, danda potius est opera, ut proportionata *alacritas* excitetur, atque sustentetur: ne etiam *defectus* aliquis, iterum legitimum bonum successum remoretur. Quo intuitu nequaquam pro *speculativis* simpliciter contemnendæ veniunt animadversiones, in Epistolis de *Peste Dantiscana*, etiam circa hoc objectum consignatæ.

XLV.

Sicut autem facilè comprehendi ac intelligi potest, quod hæ ipsæ circumstantiæ, & attentionem solertiorem requirant, qua deprehendantur per individua; & insuper difficiliorem etiam moderationem, tam à consiliorum, quam auxiliorum, potestate, involvant: ita eo magis tamen vestigari atque observari debent, ne deinde simpliciter, vel in *materiæ* malignitatem, vel in *motum febrilem* generatim, culpa pejorum eventuum, constanter conjiciatur: quæ, in rei veritate, non alibi residet, quàm in *male ordinata* adhibitione atque prosecutione, maturorum, atque congruorum, motuum, & justæ singulorum directionis atque gubernationis.

XLVI.

Cavendum autem etiam eſt eximie, ne *concomitantiæ* illa phænomena, uti vulgaris atque popularis perſuaſio interpretatur, pro ſimplicibus & directis *morbi*, atque *morbidis, ſymptomatibus*, & reputentur, & tractentur. Ita enim *calor* naturali major, cum non poſſit citatiorem motum ſanguinis non inſequi; hic verò ad maturas ſecr. atque excretiones, verum ſit præſidium: abſurdè itaque hic Calor pro tali *morbi* ſymptomate judicatur, cui directè *reſiſtendum* veniat. Sicut enim hoc, manente ſanguinis impulſu auctiore, fieri nequaquam poteſt; *refrigeratio* autem externa, etiam præſentiora atque certiora, incommoda, imò damna, portendit: ita habet tamen hæc conſideratio illum etiam uſum, ne inconditis *regiminibus*, aut *internis* medicamentis ſanguinis exæſtuationem augere aptis, incommodum hoc neceſſarium, adhuc moleſtius, imò intolerabilius, patientibus reddatur. *Eſculentorum*, imprimis autem de *animalium* cenſu, *inappetentia*, quin *faſtidium*, in Febre, perperam accipitur pro *debilitate* ventriculi; & abſurdè *appetitus* provocatio ſuſcipitur. Cum enim non ſolum ſanæ rationi refragetur, corpus *impurum*, *dum* tale eſt, & dum *repurgatio* potius ejus, quam *nutritio* agitatur, velle tunc maxime nutrire; tanquam ſi domum incendio correptam, durante hoc ipſo, ſarcire & exædificare ſuſcipias, aut cum purgante remedio alimenta ſociare: ſed etiam *carnoſarum* rerum ſubſtantia, & Chylus hinc prognaſcens gelatinoſus, *putredinoſæ* fermentationi propinquior ſit, quam *acetoſæ*: juſta potius eſt illa, & plane poſitiva, quin conſulta, à cibo *abſtinentia*, quã ut hic obtrudi & ingurgitari deberet. Ex adverſo, *potulentorum* appetitus, etiam conſultæ rationis judicio reſpondet; dum *dilutio* ſufficiens, tam ipſum ſanguinis *circuitum* ſublevat, quam *acredines* ſeroſas diſtemperat, *ſecr.* autem atq; *excretionibus*, commodum vehiculum præbet; dummodo nec alia conjuncta qualitate, *æſtuoſa*, *caput* occupante, *fæculento fermen-*

D *tati-*

tativa, flatulenta, aut alvi *stimulatoria*, *æstuosa*, aut actuali *frigore*, aut immoderata *quantitate*, præserttim simul & semel ingerenda, heteroclitis effectibus fomitem præbeat. *Vigiliæ*, uti partim *sensuum* incommoda, partim animi solicitudinum & curarum stimulos, comitantur; aut *somnus* etiam, levior & inconstans, & *somnia* anxia atque turbulenta, pares circumstantias circumsistunt: ita in *febrilibus necessitatibus* & periculis, nihil dispar fieri, quin insuper *pavores* prorsus ibi emicare, neque sanæ rationi adversatur, neque, quamdiu fundus mali exantlatus non est, in aliam viam cogi, data opera, & certo consilio, debent aut postulant. Quemadmodum etiam hæc omnia atque singula, simul atque *veræ* illi atque *evidenti necessitati* satisfactum est, nulla ope atque opera, sponte, in optatum ordinem revertuntur.

XLVII.

Quid, quod etiam in peculiaribus febrium *destinationibus*, v. g. in *Variolis*, *morbillis*, & tanto magis ipsis *pestilentibus* emotionibus, optandis atque expectandis, absonum sit, juxta Rhetoricam phrasin, alvum officii sui admonere; quando in quibusdam ægris hæc, *sponte* sua nequaquam obsequitur. Cum sub *motu* humorum, ab *interioribus* potius, quantum usquam tolerari potest, restringendo, & ad *externas* corporis partes reclinanda potissima mole humorum, hujus regurgitationem ad *intimiora* corporis, quocunque stimulo, convocare atque incitare, periculosæ sit aleæ. Cujus rei maxime notabile exemplum, suppeditat, inter alios *Langius*, & ipse Excell. D. D. Præses, uterque in Dissert. *de Variolis & Morbillis*.

XLVIII.

Quam sæpe vero, harum ipsarum, & similium, rerum, non satis exquisita æstimatione, *motus febriles*, *in se innoxii*, in transversum rapiantur, imo impellantur; & nullo certe jure postea *febri ipsi* culpa tribuatur, & *mortifera* febris malitia & *malignitas*, inclametur, loquetur certe contra, soler-

ter

ter provida atque circumſpecta Praxis: & calculo ſuo aſſertionem noſtram, atque febris à tantò reatu abſolutionem, albo calculo comprobabit.

XLIX.

Supereſt, quamvis nullo modo opus ſit, ut *duabus* adhuc oblocutionibus ſatisfaciamus; primò, de febre *Hecti-ca*; ſecundò, quod nemo propemodum, qui *citò* non extinguitur, moriatur, quin *febris concurrat*: tantò *citius* autem moriatur, quantò *acrior* febris hæc concurſans, ſentiatur: adeoque veroſimiliter, cum morbo illo, etiam jamdiu tolerato, tamen vivere non deſierit æger; probabiliſſimè *febris* ſuperveniens, illud demum ſit, quod ægrum extinguat.

L.

Quod itaque *Hecticam* attinet, eſt propemodum plurimis hodierno tempore, ipſius praxeos compotibus, ſatis perſpectum atqne notum, quod non ſolum *Hectica*, languidioribus *viſcerum læſionibus*, opem atque operam aſpernantibus, perpetuò jungatur; maximè omniũ *ulceribus*, deinde etiam *Scirrhis* ejusmodi, qui ad *ulcerationem* tanquam in proxima potentia, inclinant atque diſpoſiti ſunt: ſed etiam, ubicunque vera *Hectica* febris viget, juſtiſſima communiter ſubſit ſuſpicio, & varia ſigna probabiliſſima, quod ibi ſimul, vel *ulceratio* talis interna, vel *ſcirrhoſa* diſpoſitio, ſubſit atque delitescat. Imò etiam, quanto propiores actuali *inflammationi* conciendæ, *ulcerationes* ſimiles exiſtunt, tantò *acrior* etiam fiat illa ipſa *conjuncta* febris. Cum autem ulceratio quidem, v. g. *pulmonis*, diutius ſubſiſtere poſſit, ſine *vitæ* ipſius, imò partis affectæ, violenta atque repentina profundiore læſione; ſemper autem *exacerbationi*, per concitandam *inflammationem*, expoſita maneat: qualis *inflammatio*, *acutum* utique effectum edendi compos exiſtat: ipſi verò etiam *internæ* tali *inflammationi*, aliud remedium, in ſola naturæ poteſtate, relictum non ſit, niſi ſola illa *abſterſoria* atque *diſſipatoria* auctior *circulatio* ſanguininis, quæ diutius

con-

continuata, & solicitè continuanda, *Febris* nomine proprie venit: puto mirum esse hinc non posse, si proportionatè, ut *acutum* talium partium morbum, *intensior* febris insectatur; ita ad *lentiorem* earundem morbum, sed tamen, *acuti* effectus periculum semper complectentem, etiam quidem febris, sed *lenta* ad minimum, adhibeatur: interim *ingravescens* periculum inflammationis, pari passu insectans, & pressa vestigia legens. Et hoc ipsum, secundùm rectam rationem, *activa* potius intentione, *contrà* morbum: quam *passiva* consecutione, tanquam *ab* ipsius morbi directa efficaciâ. Ubi nempe utique, vera *Theoria* atque *Pathologia Inflammationis in genère*, atque *suppurationis*, & *consolidatoriæ* restitutionis, prudentiùs & solertius intelligenda venit, quam pariter vulgò fieri consuevit. Quandoquidem in illâ, per ignobiliores, & paucioribus vasis sanguiferis insignibus, instructa partes eveniente, veluti *particularis febris*, *activo* impulsu & transpulsu copiosiore atque citatiore sanguinis, eundem utique scopum assequitur, ut vel totam materiam, nempe sanguinem *stasi* correptum, iterum *distrahat*; vel ad minimum *agilissimas* partes continuè aufferat, quò ita *pus* solum remaneat: non autem, relictis inibi etiam, agilissimis illis partibus, immanens *corruptio putrida*, seu *sphacelus*, eveniat: qui nempe, si tali stasi *inflammationis* subsidium non succurrat aut satisfaciat, inevitabiliter sequitur. Et in rei veritate *Gangræna*, tanquam acerrima *inflamatoriæ* commotionis intensio, nihil aliud est, quam *Febris acuta particularis*; antiqua interpretatione, consecutionem *mortis* particularis, satis impediendi non ampliùs compos: dùm interim bene procedens *inflammatio*, rationem solum habet *febris continuæ particularis*.

LI.

Qvemadmodum autem ex hac ipsa contemplatione, illud imprimis dilucescit, quod etiam *Hectica* febris, morbo tali, in ipso habitu *solidarum*, *nobiliorum* partium radicato

atque

atque inhærenti, similiter non alia ratione, quam perpetui subsidii, & quasi custodiæ loco, adjungatur; ut nempe latiores ejus progressus corruptivos, circumscribat & coërceat: & sicubi ille quoque, per diætam v. g. intemperantem, acida, fermentescentia, acria, rodentia atque stimulantia, nova noxia subsidia nanciscitur, hæc quoque febris, acriùs, & cum majore contentione, ad auxilium convolet, & repugnet: Ita interim mirum esse non debet, quod hujusmodi inquilino malo hospite, imò insidioso hoste, prægravatâ, & perpetuo ulteriori peri culo expositâ œconomiâ corporis, Natura *motuum* præses, non solum *solicitudine* tacita, *inquieta*, *fastidiosa*, *impatientior*, *meticulosior*, *torpidior*, *sensibilior* observetur; sed etiam, & hoc tantò magis ipsi eveniat, & simul actu *virium* vigor magis magisque langvescat, dum utique velut *indesinenter*, plus *motûs* exercere necesse habet, quam ordinario sano corporis statui impendere opus esset. Quorsum eodem referenda etiam est, illa *nutriendi* corporis, velut incuria; cum etiam ex nudis *patheticis*, acriùs pensitabundis sollicitudinibus, aut desideriis, aus der Sehnsucht, und daß Kinder von mäßigen Jahren an einem fremden Ort nicht gewohnen können, omnino pares effectus noti sint, non solum circà *appetitum* ipsum neglectum, sed etiam *nutritionem* omissam: daß sie nicht allein nicht zunehmen, sondern gantz abnehmen und verkommen. Conf. diss. *Harderi*, *de Nostalgia*, vom Heimwehe. Ita nihilomagis etiam mirum est, si per has circumstantias, etiam *exquisitus* tenor gubernationis absolute salutaris, pro *directo* scopo hujus febris, *perturbationes* eo facilius incurrat, non tam æquè absolutè à *materiali* habitu reciproco, inter morbum atque corpus: quam etiam secundum has *æstimatorias* & *intentionales* circumstantias concurrentes: non aliter, atque à simplicibus repentinis *animi pathematibus*, tàm præsentaneæ perturbationes inducuntur, quàm durabiles, aut subinde repullulantes: unde usitata nostratium formula, à *terrore*, gravi

indignatione, timore, sie können nicht wieder darüber zu gut werden, können es nicht wieder aus dem Sinn bringen ꝛc. cum non dissimilibus, circa *appetitum*, *somnum*, *torporem* & *langvorem* corporis, consectariis: imprimis autem, veluti repente impressam, *sensibilitatem* eximiam, ad *novos* animi motus, & concurrentes tales corporalis œconomiæ turbationes.

LII.

Quantò intentius autem minari videtur, & febrium causæ imminere, fatalis velut ille ictus, de febre in flagrante facinore *cædis* deprehendendâ; tantò vanior cadere, & solas auras ferire deprehenditur. Febris adversus *mortifera* pericula, propiùs corpori, sed *materialiter*, incumbentia, ut subsidium destinari, à nobis asseritur; mirum autem profecto potius esset, si homo ab inhærente materiali aliquo vitio moreretur, febre non in subsidium accita; quam quod sub illa, quantum fieri potest, tentata ac opposita, tamen moriatur. Piget Rhetoricam advocare, aut jam abunde allegata repetere; non qui *perficere* non *potuit*, à quoquam æquo arbitro vituperatur; sed ab omnibus ille, qui planè nihil suscepit aut egit, sed totus iners, hosti cervicem præbuit: &, si nihil aliud, certe *remorari* ultimum damnum, præstat, quam ignaviter recipere.

LIII.

Interim tantum abest, ut negemus, ut potius sedulò inculcemus, in *trepidis*, *anxiis*, *angustis*, & prope jam *desperatis* rebus, tranquillum *ordinem* servari vix solere; sed tunc etiam facilius *turbulentius*, quam *sedatiùs*, & *intentiones*, & *actiones*, subinde geri. Unde etiam ipsos *convulsivos* motus, tanquam ultimum molimen, & in unum quasi collectarum virium, supremam luctam, quamvis *effectui* optabili nequaquam parem, tamen simpliciter *nullâ intentione* elidendi & excutiendi, tentari, non immeritò dubitamus. Taxavimus semel, & inconsideratam declaravimus, instantiam illam; quod *humana* natura, nempe *anima rationis* compos

pos, hoc ipso & *quà talis*, ubi plenum effectum assequendi nulla spes fundata supersit, potius *nihil frustrà* machinari deberet, quam irrita tentamina adire. Præterquam enim quod *ratio* humana, absurdè hic *absolute perfecta* exigatur, quæ nusquam alibi talem se gerit aut effert; certe etiam illud, *moram* quà licet objecisse incumbenti vitæ damno, à *sanâ* ratione non abludit.

LIV.

Quid, quod etiam his evidentibus rationibus frustra contranitentes, ipso facto agnoscunt, non tam *febre* mori, qui *cum febre* moriuntur; dum vel ipsi curiosius scrutari sustinent, vel aliis curiosius scrutatis promptè credunt, quod in plerisque omnibus *mortuis*, vel visibilia signa appareant, *sphaceli* in Visceribus coorti. Hunc autem à *febre* arcessere, ex eo certe irritum fuerit, quod tot *millenis* vicibus, homines etiam valde acres atque æstuosas febres tolerent, sine *sphaceli* talis, & consequenter *mortis* eventu: *Sphacelus* è contra *visceribus*, ipsis minime dissentientibus, ne *semel* tantum accidere possit, sine *mortis* inevitabili eventu. Unde hic auro contra caram habere decet, disertam illam priscorum Medicorum distinctionem, *morborum acutorum*, à *febribus* illorum morborum comitibus: & potius *absolvere febres* illorum, à reatu, qui *morbis* illis ipsis, insolidum incumbens, silentio præteritis illis, injuria febri illorum, quamvis ab illis ipsis etiam priscis, imputatur.

LV.

Confidimus autem sufficere posse, illa, quæ de *intentione, in genere, optimâ*, per *febriles motus* propulsandi vitæ pericula; sed per *trepidas*, minus *ordinatas*, & minus *constantes*, executiones, non recte administratas, specialissimum finem, juxta singularum materiarum diversitatem, non assequente, abunde comprobavimus. *Errare humanum est*, recepta est Paroemia; tanto certius huic etiam proposito quadrans; cum soli *homini*, tam promptè, & tam frequenter,

Febre

Febres evenire sentiantur: nedum, *per individua*, ita dissimiliter atque in constanter administrari, & *animi pathematibus*, aut indolis malis *moribus*, in errores prolabi.

LVI.

Interim neque hæc *sola* est causa, *heterocliti* successus, & ultimi sinistri eventus, febrium; cum potius ipsi illi, qui toti sunt in *materiarum* potestatibus extollendis, illud magnopere ante oculos habere deberent, quod etiam sæpe numerò fieri possit, ut præsentioris mali effectus compotes *materiæ*, omninò interdum parti alicui *nobiliori* ita innidulentur, ut hâc ipsâ ratione etiam diversum reddant febris tam decursum, quam eventum. Et hoc ipso intuitu, neque opus sit, ita absolutè, aut solum ita sæpè, in *erroneam* atque *turbulentam administratiouem* motuum, totum negotium reclinare; sed sæpenumero etiam probabile esse possit, quod febris talis, verò *materiarum* vitio tali, aliter, quam apud alios, sese gerat: neque simplici materiæ *in se* spectatæ, neque febris seorsim, culpa, sed *subjecti*, nempe *partis* quam materia *invasit*, periculo.

LVII.

Jam cum omnis bona intentio, neque minus omnis reliqua inventio, ad *movendum*, irrita prorsus sit, & effectu cassa, quamdiu *materia* ita comparata non est, ut motui *obsequatur*: aut penitus *motu* corrigi & in ordinem redigi inepta: nempe *locali*, humorum, qui in febre præcipuum punctum ferre debet: aut complicatæ ita sunt res, ut portio quidem materiæ motui adhuc respondeat; alia verò materialis circumstantia huic non obsequatur, interim nihilominus, imò plus periculi aut damni machinetur: fit ita omnino, ut, quamlibet uni scopo, (ut hic, materiæ per humores adhuc corripi aptæ,) febrilis motus adhibeatur, tamen graviori atque penitiori damno, quod solidis tenerrimis partibus jam inductum est, neque hac, nec alia ratione, sufficienter consuli possit. Cujus rei manifestum exemplum præsto est, in

pesti-

pestilente materia; quæ, quantumlibet à *nobilioribus* partibus, ac è toto sanguine, *extrorsum*, ad ignobiliores, *protrusa* est; tamen ibi inverti non potest, aut subigi, quo minus adhuc corruptelas inducat: in *Carbunculis* quidem, per sanguiferas partes, gravissimas, *putredinosas*; in *exsanguibus glandulis* autem, *ulcerosas*. Si itaque hujusmodi efficacissima materia, *interiorem* aliquam partem, propter summam abundantiam *ramificationum* sanguiferarum, præsentissimis talibus malis effectibus exopsitā, occupaverit aut corripuerit; quicquid etiam, pro *residuâ* ejus quantitate per *humores* vagante *febribilibus* motibus tentetur atque agitetur, funestum effectum evitari impossibile fit: interim incomprehensibile, quo jure ille *Febri* tali imputari possit, aut solum *potiùs* Febri quàm alteri illi *acutissimo* morbo, nempe *visceris vitalis corruptioni*, non à *Febre*, sed à *materia* illa pessimâ, pendenti: & quidem manifestò, *quatenus* parti firmiter innidulatur, eamque non solum corripuit, sed corrumpit, adeoque *Febrilibus discussoriis* motibus, non amplius obsequitur.

LVIII.

Si his adductis, & magnâ patientia deductis, *rationibus*, *veris* non solum, sed etiam *evidentibus*, probatum nondum est, quod *Febris*, *in se*, non sit *lethifera*; sed potius, *directè*, *utilissima intentione*, & *efficacissima proportione*, *salvando* potius corpori, & *expugnandis* noxiis materiis materiis, respondens: nullis probabitur. Plus autem jure meritoq; dico, qui hanc non capit atq; percipit, nullam capiet, demonstrationem: Sed manebit certe, non hæc solum res sed quæcunque etiam alia *demonstrationibus* quantumcunq; luculentis innixa, in perpetuâ *confusione*, & planè *contrariâ* acceptione, atq; applicatione. Quod quidem, pro simplici mentis conceptu, otiosis speculationibus, acquiescente, facilè negligi posset; si verò in *praxin* ingeratur, eadem certe *demonstrativâ* veritate, non potest aliud quicquam introducere, quam solidum, veritati atque veræ *necessitati*, directe & simpliciter, *contrarium* effectum. Adquem, quantum usquam fieri potest,

retundendum, necesse erit, usum hujus veræ atque solidæ contemplationis, *practicum*, indicare.

LIX.

Frivola certè, ad minimum autem prorsus in considereta, licet vulgatissimo more plane familiaris, est argumentatio illa: *si motus febrilis*, ac ipsa *natura* suscipitur, & ad *expugnandam* morbidam materiam, adeoque *salvandum* corpus, tam eximie quadrat; non erit locus *Arti*, ut in ullâ Febre, subsidiis *extrinsecus* admovendis, concurrat aut succurrat. Quale verò argumentum? Certe si inter res serias, ridiculas consequentias hujus allegare liberet, eadem opera conficere licuerit, quod *sutoriâ*, *sartoriâ*, &c. nihil opus sit; Cum nudis pedibus incedere, nudum domi, ad fornacem, in lecto, manere possibile sit &c. Quam facile verò, imò quam necessariò, recordari licet distinctinctionis, inter *Febrem*, & *Febres*; inter τὸ Esse, & *bene Esse*: inter necessitatem *absolutam*, & *secundum quid*, *respectivam*: inter *accidentia rara* & difficilia; & *frequentia* atque facilia: inter Naturam *sibi relictam*, & sibi constantem, & *turbatam*, in transversum actam, prægravatam &c.

LX.

Non utique propterea, quia natura etiam *sponte* sua, neque malis *moribus* depravata, aut *consuetudinibus*; neque aliis jam *materialibus* incommodis onerata, nec ipsa materiæ *quantitate obruta*, etiam posset sibi consulere; non, inquam, exinde sequitur, ergò *necessariò*, arte *nihil juvari*, aut *sublevari* potest. Et cum adeo notoria sit *voluntaria*, & perversè logistica, seu ratiocinans, *impatientia*, & *immorigera* hominum incontinentia; annon etiam *artis* est, nempe cum *rectâ ratione* efficacis, secundùm *scientiam* rectæ rationis, *consilio* regere atque gubernare ægros; ne illud, etiam de reliquo bonum, imo sufficiens, *auxilium* propriæ potestatis, per illa *vitia* rationis ratiocinantis, irritum reddatur; aut, justa & bona *intentio* naturæ, in *periculosis* materiis febrilibus, à *cibis* abstinendi, imprudente *consilio* atque

jussu oppugnetur; justa & consulta *potius* cupiditas, *contraria* præscriptione infestetur: boni successus *secessionum*, antiquitus dictarum *coctionum*, observentur; *prognosis*, pro solatio ægri, & meliore obsequio, inde formetur: & patiens reliqui decursus *expectatio* atque *tolerantia*, imperetur. Imò, quoad modo verè concessum est arti, vel ipsa *materiæ* malitia infringatur; vel ad *faciliorem* secesionem seu coctionem, disponatur: &, quò maximè *vergit* natura, aut vergere debet, placidè *ducatur*, & *impedimenta*, atque aberrationes, *præoccupentur*.

LXI.

Tanti verò certè est, inconditam talem argumentationem in viam revocare; ut maximi momenti sit, illam disertis verbis, non solùm restringere, sed etiam adstringere. Ubicunque *Natura*, *spontaneis* illis suis motibus *Febrilibus*, & concurrere observatur, & rectè concurrere; adeoque sibi *sufficere* posse, intelligi potest, *ibi arte non est opus*. Imò ibi arti non est *locus*; nisi manifestis atque certis documentis, probatum dare posit, quod *datum* ipsi sit & *concessum*, vera atque evidente subsidiaria operâ, in tali *specie* febrilis materiæ, naturam *sublevare* & juvare. Magnum profectò postulatum, præ quo omnes illæ vanæ, falsæ, præsumptuosæ, imò temerariæ, traditiones atque ostentationes, pessimo consilio in artem Medicam intrusæ, contemnendæ sint, imò damnandæ.

LXII.

Allegamus meritò cum justa laude, atque attentionis & imitationis commendatione, *Hippocratem*. Quorsum enim tendunt, vix non omnes, numerosæ quantumvis, annotationes hujus viri, *de acutis*, & *Epidemicis* Febribus; quam ad *prognosin*, quid ab illis, *quis*, inquam, & *qualis*, *eventus*, expectari posit: quam parcus autem, imò circumspectus est, in *auxiliis* ostendendis, nedum ostentandis, atque imperandis? Quorsum pertinent etiam pleraque illorum quæ nominat, nisi ad *consilium* potius, quam jactatum auxilium?

ad *Diætam*, inquam, magis, quam *Pharmaciam*. Inspiciatur solum commemoratio ejus Febris *lethiferæ*, prout illam peculiari dissertatione collustravit Excell. D. D. Præses: perpendantur verba, ejus, Lib. 1. de Morbis (Lindenianæ Editionis, Tom. II. p. 3, Cap. III, §. X.: *morbi qui perdunt, & non perdunt*, &c. Tanti inquam, nempe maximi, momenti est, non persuasioni indulgere, & credulitati, quod hic multum possit *Ars*, adeoque non debeat quiescere, sed sese ingerere & obtrudere, operosa & negotiosa esse, *positivis pharmacevticis* artificiis; ut tali sensu, ne quidem *locus* ipsis sit, non opem, sed damnum inferre aptis. Nempe hoc potius discendum erat, quam ediscenda, atque declamationibus propaganda, sesquipedalia illa promissa, irrita, vana, atque falsa.

LXIII.

Quis vero, pro vir cordatus atque bonus, non divinâ agnoscat benignitate & clementia, in mediis castigationibus paternè se manifestante, quod tandem, oculos atque animos mortalium aperiat, & ex ipsis damnis sapere doceat; dum *peste*, per proximos annos hinc inde grassante, nullos certius atque citius, imò calamitosius, emori, patefecit, quàm qui deprædicatis illis artificiis pharmacevticis, diligentissime & largissime utantur. Non plures autem morbum gravissimum superare, quam qui neglectis his, rem *naturæ committant*, & voluntaria continentia, perturbationes evitent.

LXIV.

Absit ut mihi aliquid arrogem, Præses; in luce publicâ interim, & in medio, prostant animadversiones atque admonitiones, de hac re, jam per XX. propemodum annorum decursum, ad ravim usque, & non solum ad imperitorum censorum, sed modo non mei ipsius, nauseam, tractatæ, repetitæ, inculcatæ. Non *mea* proferre, unquam mens fuit, sed *vera*: hoc egi, hoc agere, volente Deo, non delassabor.

LXV.

De *Variolis* & *Morbillis*, morbo propemodum indesinenter occurrente, si peroratum nondum est; quid impedi-

re unquam potuit, quo minus esset, nisi sola inertia atque, „ pervicacia; quod eædem, totis exemplorum Chiliadi-„ bus, sibi relictæ, & non nisi solo moderamine levissimo regi-„ minis, privativo magis excessuum, quam positivo auxilio-„ rum, suffultæ, feliciter exeant: infelicius aut periculosius, „ artificiis interpositis, & consiliis inconsultis. Imò, cur, „ nemo animum advertit, aut, evidentissimam illam rem, ob-„ servatione dignatus est, digniore certe, quam est magnus nu-„ merus curiosiorum; *quod*, & *quot*, homines, à cujusvis generis, imprimis autem periculosis, *febribus*, *sine omnibus artificiis* convalescant: maxime omnium autem, *sine illis*, (ego etiam crediderim, *propterea*) quæ præcipuis laudibus hic efferri atque decantari sveverunt. Sicut hujus rei documentum etiam præbere possunt, ipsi *Castrenses* morbi; recte æstimando, quid illis, directi, veri, & nihil æquivoci, auxilii, ex illis, certe ut empyricè, *inconditè* adhiberi solitis remediis, afferere, prudentia permittat.

LXVI.

De *peste* certe, jam pridem illud optavi Præses, quod nunc tantò magis publice profiteor, & ad hoc invito, quicquid est laboris, solertes viros, ut in illis, imprimis popu-„ losioribus, Urbibus, in quibus Pestis, per Dei gratiam, de-„ siit grassari, numerus ineatur hominum, qui morbum hunc, „ salva vita superarunt; & sub quibus circumstantiis per de-„ cursum, sanitatem assecuti sunt. Præcipue qui nihil spe-„ ciosum usurpaverunt; qui verò quocunque tandem reme-„ dio usi fuerint, quemnam manifestius sensibilem effectum, de-„ tempore in tempus, percepisse sibi visi sint. Digna, in hunc sensum atque in hoc censu, quæ memoretur, est Felicis Plateri observatio, *Lib. II. Tit. de Peste*, quod hac Basileæ Helvetiorum, suo ævo, grassante, in solo Nosocomio, vivi evaserint, *quadringenti septuaginta octo*, & ex his multi, *nullis* usi remediis. Neque tacenda, in pari re, solertia Medici Practici laudatissimi Dantiscani, D. D. J. G. Kulmus, Vratislavia Silesii, Auditoris ante hac mei gnavissimi, qui multis ægris

per primos dies medicamenta offerre ſuperſedit, præſcripto ſolum regimine circumſpecto. Et meretur ſanè attentam lectionem, commentatio doctisſimorum Virorum, de *peſtilente* morbo, *Viennæ Auſtriæ* graſſato, vernacula lingva in publicum propoſita.

LXVII.

Ita nempe demum hæc noſtra tractatio non otioſa manebit, & ſolis *Theoriis* forte deſtinata; ſi potius quam maxime, ad uſum *practicum*, inde eliciantur, & qua decet ſolertia, enodentur, *quæſtiones* hæ, unice utique ad *artem* pertinentes; quid ex hoc, vero atque ſolido fundamento, 1) decernendum ſit, de eo, an in oblata *febre*, in illo individuo, etiam *opus* ſit arte? 2) an eximius *uſus* ibi ſit arti, & ab illa bona fide & fiducia expectandus? 3) an etiam ſolùm, & quatenus, *locus* ſit arti, ut, ſi non magnopere juvet, certe nihil noceat? 4) quomodo etiam *nocere* posſit ars, *turbare*, *ordinem* pervertere, ſiniſtros eventus provocare. Erit certè Scientiæ, experientiæ, & prudentiæ, eximius locus, & ampla Palæſtra, ubi vires ſuas experiri poſſint, imò oſtendere,

LXVIII.

Memini ſatis, dictum jam eſt ſæpius, unum idemque; ſed *numquam nimis dicitur*, *quod nunquam nimis diſcitur*: ad ultimam propoſitarum quæſtionem imprimis faciens documentum. Habemus hodie exempla, ubere proventu, partim *hiſtoriæ* Febrium ita *perplexarum*, ut proinde illas, cum exquiſitisſimis illis antiquiorum diviſionibus, nusquam propemodum conciliare ſuſtineant Practici; imò per individua ſubinde hoc fateantur, de aliqua, quæ forte præ manibus eſt, ſie können ſich in dieſes Fieber nicht ſchicken: Quid ita verò? niſi quia non, quà poterat aut debebat, febris incedit & procedit, ſed qua ducitur, imò cogitur: artificiis, veteribus non ſolum non uſitatis, ſed revera non probatis. Plus dico; occurrunt, neque raræ quidem, Febres ejusmodi, jam de *intermittente*, jam de *continua*,

prosapia, & primo initio: quæ ex uno typo in alterum, veriùs ex una ataxia in alteram, transmigrant & prolabuntur: ita ut ægri sæpius, non per *septimanas* solum plures, sed omnino *menses*, cum illis colluctentur, & non raro ne unquam quidem ad antiquas vires revertantur. Qualium autem febrium, si ulla, certè rarissima mentio apud antiquiores occurrit; anomalarum autem, ad minimum notabiliter, frequentissima utique exempla. Accedit autem his rebus, maxime notandum, quod de multis aliis ægris, qui ejusdem speciei febribus affecti, vel nullis remediis utuntur, vel non talibus, nemo in parem malum eventum prolabatur. Qui vero fit, ut animi non tandem denique excitentur, ad cordate perpendendum, an, & ubi tandem, error hic lateat? Si imprimis illud etiam adjiciatur; quod sub servata uniformi tali methodo, uni eidemque practico, non possit aliter evenire, si quidem praxin exerceat numerosiorem, quin identidem febres ipsi oblatæ, ad minimum aliis, & deterioribus, Symptomatibus stipentur, quam in illis observare queat, quæ vel nullis, vel moderatioribus, artificiis tractantur.

LXIX.

Unde potius *duo*, ad veram practicam utilitatem unice pertinentia, *Theoremata*, adhuc, pro *Colophone* præsentis tractationis, adjicimus, atque commendamus; nempe primo *definitionem* febris veriorem, & Medicis usibus unice aptam; FEBRIS, dico, est *auctior concitatio motus humorum circularis; & morbidæ materiei proportioni, ad tempestivas, sed & maturas, secretiones, & è toto corpore excretiones, apta & respondens, directio, ad res hujusmodi, è toto corpore ita evacuandas, adeoque corpus suæ puritati restituendum: ab ipsa natura, conservationi corporis, per hanc ipsam methodum, indesinenter & proportionate, invigilante atque satisfaciente, tunc etiam suscepto, atque gerendo, toto negotio.*

LXX.

Secundò loco, commendo, ut non solum, secundum hanc considerationem, prudenter expendatur, quomodo materiarum talium *morbidarum*, diver-

diversa *conditio* atque constitutio ; & in *partes*, vel *fluidas*, vel *solidas*, facta insinuatio, aut invasio : Successum, *bonæ* febrilis destinationis, varie alterent, & tàm *processum* circumscribant, quam, *solidis* partibus inducto sontico vitio, etiam frustrentur. Sed etiam, quomodo, undecunque tandem, graviùs *turbata* ipsa *intentio* & intenta *directio*, circa hos motus *tempestivè suscipiendos*, & *ordinate gerendos*, generaliorem salutarem *intentionem*, pari eventu, à vera sua & sincerâ efficaciâ, & *possint*, & subinde *soleant*, avertere.

LXXI.

Quibus rebus, uti potest fieri, atque debet, recte pensitatis, facile dilucescet, quid sperare liceat atque statuere, de illa, tumultuariis febrium considerationibus atque æstimationibus, superstructa, speculatione, febrem *in genere*, tanquam per *universale* aliquod *remedium*, aut unam universalem *methodum*, ut vulgaris habet expressio, *extingvendi*. Cum enim non *Febris*, sed *materiæ* febrilis ratio manifesto habenda veniat; nisi artificium tale toti *materiæ*, *in genere* & *per species*, edomandæ satisfaciat, *motum* certe febrilem cohibere, quid aliud esset, quam *materiis* illis, liberum grassandi campum aperire & concedere?

LXXII.

Licet enim ea posset esse intentio, ut natura, juxta *Helmontii* Speculationem, ad indignationem, & uti loquitur ad furorem quasi, incitata tali artificio ab illo, *impetu* revocaretur, atque *sedaretur*; dilucescit tamen affatim quod hac ratione minimè *toti* Febri consuleretur, sed unicè illis ejus *Symptomatibus*, quæ etiam nostro ipsorum judicio, ab *erronea* tantisper exacerbatione, per obliquum concursare possent: non verò illis commotionibus, quæ *materiæ*, quanta maxima potest proportione respondentes, utique debentur: sive tandem illam feliciter superent, sive talem felicem effectum non assequantur.

LXXIII.

Unde, tàm laudato ab *Helmontio*, *Mercurio* Diaphoretico, quam *Kergeri* artificio, quo febres *sine distinctione*, intelligo *speciei*, *temporis*, & *excretionum*, subigi posse pollicetur, ullam fidem adhibere, eo usque constanter supersedebimus, donec vero & constanti experimento, assertorum veritas orbi demonstretur.

Atque ita quidem suscepto nostro proposito satisfecisse confidentes, Divinæ Clementiæ, pro præstita nobis gratia, humillimas grates habemus, & ut seria harum rerum pervestigatio & agnitio, publicis artis, imò totius generis humani, commodis, exoptatam utilitatem adferat, omnipotenti ejus benedictioni, medullitus commendamus.

S. D. G.